

ORATIO
PRO
IVSTINIANEA VNIVERSITATE BONONIENSI

Ad Illustrissimum ac Reuerendissimum D.
D. BENEDICTVM IVSTINIANVM,
S. R. E. Cardinalem amplissimum, meritissimumque Bononiæ à latere Legatum.

Perendie ipsius aduentus, V. nimirùm Id. Nouemb.
CIƆ. IƆC. VI.

Habita
AB ANTHONIO COCHETO SABAVDO
Liberalium Artium Doctore.



Bononiæ, Apud Io. Baptistam Bellagambam M.DC.VII
SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur.

Fr. Aloysius Vrceanus, Vicarius SS. Inquisit.

Fr. Sanctes Ariminensis Augustins Reuisor pro Cur. Archiepiscop.





ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO D. BENEDICTO IVSTINIANO

S.R.E. CARD. AMPLISS. MERITISSIMOQ. BONON. A LATERE LEGATO.

Antonius Cochetus S. P. D.


QVAENAM est mea isthæc audacia (Illustrissime Princeps) qui suum omni iure, omni titulo, amplissimæ Dominationi suæ fœtum offerre audeam? At meminerit (obsecro) etiam Agricolas, qui

vrbanitatem ipſam vel à limine aliquando ſalutarunt; ſolitos ſæpicule heris ſuis, quæ in ipſorum arboribus collegerunt poma (haud ingratum munus) offerre. Simile ego quidpiam in præſentia. Cuius voto vt benignus ſecundò indulgeat, rogo ſuppliciter, Viuat diu in terris. Bononiæ Cal. Ianuarij ordientis annum à partu Virginis. CIↃ. IↃC. VII.



AD

AD LECTOREM BENEVOLVM.





Aciebant, quod ante annum, Commilitones mei (amice Lector) plerique enim huiusce etiam oratiunculæ exemplaria rogitabant; quibus omnibus calamo, & manu seruire, operosum plane; non obsequi, inofficiosum: Vnius tandem Typographi opera mihi faciliùs, illis meliùs satisfactum iri iudicaui. Cœterùm, si cui Momo legenti ista ilia intumescant, rumpantur etiam (si Dijs placet) quid ad me? Vale.




Consiliarij

Consiliarij Nationum Iustinianeæ Vniuersitatis Bononiensis.

	D. Alexander Ronchalius Romanus.	Romanorum.
	D. Diomedes Varesius Romanus.	
	D. Lucius Solarius Placentinus.	Neapolitanorũ.
	D. Eustachius Gattus Durantinus.	
	D. Polus Paccius Exinas.	Marchiæ infer.
	D. Io. Bapt. Castellanus Forosempron.	Marchiæ super.
	D. Io. Dominicus Capri Messanensis.	Siculorum.
	D Fabritius de Iudice Messanensis.	
	D. Petrus Castellius Florentinus.	Florentinorum.
	D. Nicolaus Luchesinius Lucensis.	Pisan. & Lucen.
R.	D. Hieronymus Oliogoto Messanen.	Sardin. & Cypr.
R.	D. Hieronymus Griffonus Aretinus.	Senensium.
	D. Dominicus Felisius Fauentinus.	Spoletanorum.
	D. Franciscus Aldrouandinus Rauenn.	Rauennaten.
	D. Venturas Ceratus Thomasinus Vicet.	Venetorum.
	D. Cibramontes Cortesius Mantuanus.	Mantuanorum.
R.	D. Nicolaus Caroccius Genuensis.	Genuensium.
	D. Iohannes Caualchinus Papiensis.	Mediolanen.
	D. Iulius Cæsar Augustus Bergom.	Trium Ciuitatum.
	D. Franciscus Capibouius Mutinensis.	Thessalonicorum.
	D Hieronymus Resta Cremon.	Lombardorum.
	D. Comes Henricus Rotarius Astensis.	Cælestinorum.
R.	D Io. Euangelista Spadius Fauent.	Romandiolorum.
	Fr. D. Io. Franciscus Habella Meliten. equestris ordinis Hierosolymit.	Melitē. & Gaulos.
	D. Cæsar Pinchelin° de Burgo S. Domi.	Placentinorum.

R. D. F.

R. D.Franc. Ant. Costafortis Foss. Ped.	Gallorum.
D.Franc. Cauaccius Mutinensis.	Portugallorum.
R. D.Bartholomæ° Pictninus Belueder. Saluciarum Ligur.	Prouincialium.
D.Baptista Madius Brixien.	Anglorum.
D.Hieronymus Russetus Trident.	Burgundorum.
D.Anthonius Cocbetus Rumilliensis	Sabaudorum.
D. Liuius Salumbrinus Forolluien.	Vasconorum.
D.Hyppolitus Ruggerius Parmensis.	Bitturicensium.
D.Vincentius Cerualorius Mutinen.	Turonensium.
D.Francisc. Arnedus Iabarea Lucen. D.Tyberius Scardua Vitilianensis.	Aragonensium.
D.Ant. Maria Viscou. de Casa armat.	Nauarrensium.
D.Ansel. Casim. VVäboult ab Vmbstal. D.Io.Iacob° Leopoldus Schuuäzenbron.	Alemanorum.
D.Laurentius Forenz si Ungarus.	Vngarorum.
D.Com. Samuel Zborouuschyus Polon.	Polonorum.
D.Vit° Hartman° Fuchs à Dornebin.	Boemorum.
D.Melchior Krempsek Alemanus.	Belgarum.
D.Io.Rodulph. Schēchō à Stauffēbergh.	Pruten. & Ligon.
R.D.Corrad° Lodouic° Thobel à Zibelstal.	Daciorum.
D.Pompeius Coroninus Gloricien.	Transyluanorum.
R. D.Don Didacus de Leon Garauita.	Indorum.
D.Don Petrus Pezech.	Castellanorum.
D.Io.Georgius Fuchs à Dornin.	Illyricorum.



ORATIO

ORATIO PRO IVSTINIANEA VNIVERSITATE BONONIENSI,

Ad Illustrissimum, ac Reuerendissimum D.
D. BENEDICTVM IVSTINIANVM, S.R.E.
Cardinalem Amplissimum, meritissimumque Bonon.
A LATERE LEGATVM,

Habita
AB ANTHONIO COCHETO SABAVDO.



I quantum gaudij lætitiæque incredibilis (CARDINALIS AMPLISSIME) tuus optatissimus in hanc Ciuitatem aduentus, omnibus & præsertim Iurisprudentiæ cultoribus attulit: tantum mihi oris, eloquentiæ, ingenij ad illud fœliciter enarrandum inesset: sperarem profectò non minùs cumulatè in præsentia satisfactum iri à me huic NOBILISSIMÆ VNIVERSITATI, quàm ipsa de imponendo præsenti onere viribus meis inæquali, summo nuper consensu, & vna voce decreuit. In quo quantum mihi perpetuò timoris, tenuitatis, ac imbecillitatis meæ conscientia fecit; tantum vbertas oblatæ dicendi causæ lætitiæ, animique addidit. Dicendum enim (le-

ctissimi Auditores) de præstãtissima virtute Illustrissimi Cardinalis Iustiniani. Cuius originem, si pro breuitate temporis nobis ad dicendum concessa, inuestigare velimus, regale suum genus ducere iam inde vsque ab Augusto Romanorũ Imperatore Iustiniano comperiemus: quemadmodum pleraque grauissimorum Autorum scripta testantur, & communis fama passim prædicat. Illud quoque dubiũ nemini vnquam fuit, quin antiquissima Iustinianorum familia, summum non ita pridem imperium in illam celeberrimam Græciæ insulam, quæ etiam num Chio appellatur, obtinuerit: Heroibusque in omni virtutum genere cumulatissimis continuò abundarit. Quorum egregias laudes, quia me ratio temporis ex animi voto non sineret recensere, malo nullã prorsus de illis, quàm pauca, & per transennam verba facere. Quò citius ad te vnum oratio mea conuertatur (Cardinalis amplissime) qui, quòd nudius tertius Legatus huc appuleris, CHRISTO OPT. MAX. & eius Vicario in terris PAVLO QVINTO, pro tam immortali beneficio, immortales gratias habemus. Quibus nimirum duobus effectum est, suggerente videlicet illo, annuente isto, vt is potissimùm huic florentissimæ Ciuitati Legatus delectus fuerit, quem vnum, si sibi data fuisset optio, cæteris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ proceribus Bononia antepoluisset. Atque ea in re difficillimum est omnino iudicare, vtrùm splendori tuo melius, quàm Pontificis tranquillitati prospectum fuerit. Quandoquidem, si tibi dedit ipse turbulentissimo tempore Pontificiarum legationum Princi-

pem; tu illi publici ocij conseruationem promisisti. Si Regionis huiusce vberrimę administrationem communicauit; tu illi eodem tempore omnem molestiam, & angorem ademisti. Ita vt, tu dũtaxat magis solicitus, ille vero securior factus fuerit. Sed cuinam tandem sapientissimus ille Reipublicæ Christianæ MODERATOR, summusque catholicæ religionis INTERPRES, hanc nobilissimã deferre potuit prouinciam, in quo perfectiora reperirentur illa tria, quę in cuiusuis Reipublicæ gubernatore desiderantur; scientia nimirum, virtus, & autoritas? Quæ singula ita sibi cohærent, & coniuncta sunt inter se, vt si vnum illorum defuerit, reliqua nullo modo perfectum efficere possint Gubernatorem. Quàm multos enim videre licet, etiam hodierna luce, in rerum diuinarum, atque humanarum doctrina versatissimos; quibus quoniam vitæ probitas deest, non modò publicum ocium, & præsertim religionem tueri non possunt; sed magna ei potius in dies detrimenta afferunt? Alios verò reperirę fas est, probatæ quidem vitæ viros, at rerum omnium rudes; quibus propterea regionis alicuius administrationem demãdari non posse, certum est. Denique quamuis in aliquo scientia, vitæque integritas fuerit; si tamen illi deest autoritas, vt nemo illi aures præbeat, fidem adhibeat nemo: nõ est, quòd quisquam speret, hunc perfecti Gubernatoris munus commodę vnquam sustenturum. Cum verò ad non vulgarem doctrinam, non vulgaris etiam morum probitas, & autoritas accedit; tum demum eximium quiddam, atque diuinum solet existere. Quæ

singula, summa in hocce sapiẽtissimo nostro Seruatore reperiri, nemo nescit. Quis enim, quæso vos, bonarum omnium rerum sciẽtior vnquam fuit, aut esse potuit? Qui cùm ab ineunte ætate, præstanti ingenio, & singulari memoria præcelleret; contento semper studio, omnibus scientiarũ generibus operã nauauit: qui dies, & noctes eis inuigilauit: qui plures sacros, humanosque libros legit, quàm alij viderunt: plura memoriæ mandauit, quàm alij audierũt. Qui denique propter suam reconditam, ac singularem rerum prudentiam, plerisque iam antea Pontificibus, nouissimè verò PAVLO QVINTO (cui longam & fœlicem vitam Deus) adeò gratus fuit, vt in tuẽda Repub. Christiana, non modò Administrum, sed Socium penè semper habere voluerint. Age verò, quotusquisque est, non dicam in hac frequenti, & populosa Ciuitate tantùm, verùm etiã in toto terrarum orbe, cui non iampridem audita, & cognita fuerit ipsius fortitudo, iustitia, prudentia, temperantia? Quæ, quod in alijs præclaris hominibus accidere solet, non sunt ita in ipso mediocres, vt vna tantùm earum excellat, sicut in Themistocle quondam fortitudo, in Aristide iustitia, in Solone sapientia, in Xenocrate temperantia; sed omnes excellentes, omnes heroicæ. Et præsertim illa, quæ à Latinis philosophis humanitas, à Grçcis verò significantiùs φιλανθρωπία appellatur; quç tàm singularis, ac ev mia in eo semper fuit, vt propter hanc vnã maximè Romç, & vbiuis gentium, omnes certatim ipsum approbarint: approbatum prædicarint: prædicatum diuinis propè laudibus in Cælum extulerint.

rint. O beatam igitur nostram Vniuersitatem! Sed te in primis fęlicem Bononiam! Cui hoc potissimùm tempore (quo multa tibi prætér naturam, prærerque fatũ impendere videntur mala; si, quod iamdudum parturire creditur, illa maritimarum Ciuitatum facilè Regina, accerrima quondam Ecclesiasticæ libertatis protectrix, nunc verò, heu deflendam rerum humanarum inconstantiam! Optimo Parenti suo facta contumax, aliquando pepererit). Cui, inquam, hóc potissimùm tempore, is de Cęlo delapsus videtur esse Legatus; quo nullus officiosior vnquam fuit; nullus humanior. Ad veritatem nihil affingo: mihi iniurato credite (Auditores) vox populi, vt vulgo dicitur, vox Dei. Atqui plenę sunt omnium voces, plena scripta, plenæ historiæ: quandiu hic Amplissimus Cardinalis Romæ commoratus est (sedit autẽ longissimo tempore) quamuis infinita multitudo cuiusuis generis hominum opem, atq; auxilium implorantium, ad illius munificentissimas ædes quotidie conflueret; neminem tamen vnquam, qui honesta & legitima ab eo petiuerit, repulsam passum fuisse: adeò vt obscurum remãserit nemini, voluntatę optima gratificandi omnibus, nihil habuisse vnquam prius, nihil antiquius. Quæ cum ita habeant, facessant hinc importuni isti sapientum antiquorum admiratores, quorum virtutes singulæ, si cum hac vna beneficentissimi nostri Conseruatoris humanitate conferãtur, præ ipsa, vti solum præ Coelo, sordescent. Etenim quæ illi humanitatis, cæterarumque virtutum præcepta tradiderunt, hic studiosè semper obseruauit. Laudatur


passim à permultis Titus Vespesianus Imperator, quòd cùm aliquando ad primas faces meminisset se in nullum hominem die præcedenti beneficiũ contulisse, cõuersus ad suos, magna, & dolenti voce exclamârit, perditum sibi diem vnũ. Atquantò Deus immortalis ò maiori laude dignus hic Cardinalis Amplissimus? qui ne in similem vocem aliquando prorumperet, sedulò semper prouidit. Iam verò quid loquar de autoritate? Quę cùm virtutibus maximè comparetur, nulli dubium esse potest, quin tanta in ipso existat, quanta prefatis laudibus deberi potest. Et verò cuius vita modestiæ, ac grauitatis plenior vnquam fuit? cuius sapientia maior? quam principes, populi, nationes vehemẽter in omni tempore suspexerunt: tantumq; ipsi tribuerunt, vt quicquid aliquando statuerit, velut ex tripode dictum amplexi sint. In iucundissimo denique ipsius aspectu nunquid tanta dignitas inest? in sermone tanta maiestas? in incessu atque omni gestu corporis tãta veneratio? vt ipsam quodãmodo autoritatem præ se ferre videatur? O meritò igitur iureq; concepta gaudia! O veram sanctamq; lætitiam! O faustum, fortunatumq; diem illum! quo ad expectatissimum Legati magni ingressum, tam exhilaratam vniuersam Ciuitatem vidimus, vt non modò homines ipsi, verùm etiam expertes rationis animantes, muri, parietes, porticus: & denique res omnes ipsius vrbis, infinitam quandam lætitiam præ se tulerint. Nec immeritò. Quid enim optatius? quid gloriosius? quid beatius accidere potuit vnquam huic Ciuitati, huic Populo, vel etiam tibi ò Vniuersitas? Quan-

Siquidem hoc moderatore tam benefico, tam humano, nihil est planè, quod non tibi perpetuò feliciter, atque ex animi sententia successurũ sit. Etenim, quod primum petis (vt par est) officiosissimè, vt in suam clientelam, ac protectionem recipiat: benè, vt facili vultu recipit. Quod deinde rogas, vt ipsi ea quæ tibi supersunt priuilegia, ac prærogatiuę ab eodem conseruentur: conseruabit. Quod denique identidem conquereris tuam pristinam libertatem nunc tantopere imminutam; opesque quamplurima iura ab alienis possessoribus, partim aucupata, partim euersa penitus, quo tempore Rectoribus caruisti, nunc quasi postliminio tibi restitui: bono animo esto: restituet. Nam, si verum est (vt est verissimum) quemadmodum etiam cecinit aliquãdo grauissimus poeta, Fortes creari fortibus: quorumq; maiores aliqua gloria floruerunt, hi studeant in eodem genere laudis plurimũ excellere: quis merito dubitare queat? quin quoties hic Amplissimus Cardinalis, Cæsareę originis suæ recordabitur, oculosque in hanc Cæsaream Vniuersitatem conijciet, toties tanto ad illius splendorem promouendum studio incendatur, vt verè olim dici valeat. A diuino Imperatore Iustiniano immensum illud Iurisprudentiæ pelagus, & confusum ciuilium legum chaos ordinatum fuisse: Illustrissimo verò Cardinali Iustiniano, splendorem Vniuersitatis Bononiensis, prolapsum penitus, & penè extinctum, reuixisse. Hoc te vnum in primis, BENEDICTE IVSTINIANE, hęc Iustinianea Cohors; Per illam beneficam manum, quam petentibus à te opem, benignus semper porrexisti:

rexisti: Per illam clarissimam famam, quæ de tua beneuolentia in omnes per vniuersum orbem increbuit: Per illud denique incredibile studiũ, quo te virtutum auitarum studiosissimum semper imitatorem comprobasti: etiam atq; etiam rogat. DEVM OPTIMVM MAXIMVM vicissim precatur, precabiturque semper; vt quem sua præsenti liberalitate, suo præsenti numine, nobis omnibus istius clarissimæ Ciuitatis Legatum, publicæ tranquillitatis Custodẽ, felicitatis Amplificatorem, omnium denique rerum optimarum quasi Parentem dedit: qua pietate concessit, eadem saluum, & incolumem quam diutissimè conseruet. Donec te tandem aliquando (euntibus ordine fatis) ad supremum illum dignitatis gradũ in terris euectum conspiciamus, conspectum adoremus: cui te iampridem merita tua, & bonorum omnium vota deuouerunt. Dixi.

F I N I S.

ILLVSTRISSIMI RESPONSVM EX TEMPORE.



GRATA mihi admodùm, ac iucunda fuit hæc vestra à tam facundo Oratore habita oratio; pro qua haud mediocres vobis gratias. Quas verò commemorastis laudes; sentio sanè, quàm in me sint exiguæ. Hæ tamen, si ex parte, vel etiam omnes (quod minimè verum) veræ forent: singulas soli Deo acceptas meritò referendum. Quòd deinde spectat ad Priuilegia vestra; illa omnia; autoritate mihi à Summo Pontifice PAVLO V. concessa, non modò sum vobis integra; atque intacta perpetuò conseruaturus: verùm etiam ex occasione amplificaturus. Adeo vt, si aliquis vestrum reperiatur, qui ad Rectoris gradum aspiret, huic omnem opem; atque auxilium pollicear. Eo deficiente, me Rectorem singulis semper, ac parentem futurum recipio. Quatenus nimirùm, in hac præsertim celeberrima Ciuitate, tot tantisq; hominibus clarissimo sanguine.

guine.

guine procreatis conspicua; digna conditione vestra, & natalium splendore praestiteritis. Quod vnum vobis, tum demum facillimum fore existimo; si (quemadmodum singulos vehementi hortor) per legitimos tramites legum (quas profitemini) ambulaueritis. A quibus denique si vllus perperam aberrarit, illum de tam praeclarae Societatis albo deleri studiosè procurabimus.



BONONIAE,

Apud Ioannem Baptistam Bellagambam.

M. DC. VII.

SVPERIORVM PERMISSV.

